

nisi forte hujusmodi cultus vanitatem comitaretur aliqua turpitudine: ut si quis veller colere Deum immolatione hominis, verbis turpibus in Templo decantatis, sono vocis, aut organi ad lasciviam provocante; ut dixi supra.

Dico 3. (Q. 92. a. 2. o.) Superstitio cultus falsi numinis dividitur in tres species, scilicet Idolatriam, Divinationem, & vanam Observantiam. Sicut enim colimus Deum, vel deferendo divinæ ejus excellentiæ cultum, Sacrificia, &c. vel obsecrando ea, quæ ipse solus nobis elargiri potest, sive ad mentis nostræ instructionem, sive ad actionum nostrarum directionem; sic demon superbus & invidus, Divinos honores affectans, ambit coli ab hominibus, idque eos docet. Vel ergo colitur & honoratur tanquam numen, & hæc est Idolatria. Vel ut aliquid occultum reveler, & est Divinatio; vel ut juvet & dirigat in agendo, & est vana Observantia, ad quam reducitur Magia. De his tribus speciebus cultus falsi numinis fusiùs, & distinctius agendum est in sequentibus articulis.

ARTICULUS II.

De Idolatria. D. Th. Q. 94.

§. I. Quid, & quod simplex sit Idolatria.

Idolatria secundum vocis Etymologiam est latria, seu cultus Idoli. Idolum autem in ampla significatione est omne simulacrum, alicujus rei figurativum. Sed in significatione propria Scripturæ & Theologiæ est figura rei, quæ non est, ut Jovis, Mercurii, Solis, Lunæ, &c. licet enim Sol & Luna existat a parte rei, non sunt tamen id, quod creditur, aut significatur per Idolum, id est, non sunt Deus. Unde Apost. 1. Cor. 8. dicit: *Scimus, quia nihil est Idolum in mundo*, scilicet in genere signi relati ad rem significatam, sicut in genere signi relati ad rem significatam, seu formaliter & quatenus est Idolum. Unde proprie Idolum est *Effigies numinis falsi*: Indequæ patet, quod imagines Christi & Sanctorum non sint Idola, ut docebitur in Tract. de Incarnatione.

Dico 1. Idolatria secundum vocis significationem, vel sumitur metaphoricè, & est omne peccatum mortale, quo peccator adheret creaturæ u. fini ultimo, siquæ quamdam similitudinem cultus exhibet illi ut Deo; vel sumitur in sensu proprio: (Q. 94. a. 1. o.) & est cultus Divinus alteri, quam Deo exhibitus; vel quod idem est, est cultus exhibitus creaturæ ut Deo. Ex quo (Ibid.) patet, quod sit species superstitiosis, cum excedat modum Divini cultus colendo id, quod coli non debet: & idè Apost. Act. 17. Athenienses præ ceteris Idolatriæ dedito; significare volens dicit: *Per omnia quasi superstitiosiores vos video*.

Porro (Ibid.) dupliciter divinus cultus Idolis exhibebatur a Gentibus. Quidam enim per quamdam nefariam artem certas construunt imagines, quæ virtute demonis aliquos certos effectus habebant: v. gr. loquebantur, loco se movebant, &c. quæ cum nullo manifesto auctore fieri conspicerentur, credebant aliquid Divinitatis, & per consequens quod Divinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Hermetis Trimegisti, teste Aug. 8. de Civit. Tales etiam erant, qui Jere. 2. dicebant ligni: *Pater meus es tu & lapidi: Tu me genuisti*. Et qui Isaiæ 2. adorabant opera manuum suarum. Vide insuper Sap. 13. 14. Isa. 42. 46. Ps. 113. 114. & alibi.

Alii (Ibid.) vero non exhibebant cultum Divinitatis ipsis imaginibus, sed creatoris, quorum erant imagines, horum triplex fuit opinio. Quidam existimabant, quosdam homines Deos evasisse, quos per eorum imagines colebant sicut Jovem, Mercurium, & alios hujusmodi. Quidam vero existimabant, totum Mundum esse unum Deum, non propter corporalem substantiam, sed propter animam, quam Deum esse credebant, dicentes Deum nihil aliud esse, quam animam motu & ratione Mundum gubernantem. Unde putabant toti Mundo, & omnibus ejus partibus, Cælo, Aëri, Terræ, &c. cultum Divinitatis esse exhibendum. Tali erat opinio Varrois, teste Aug. 7. de Civit. c. 67. (Ibid.) Quidam tandem, scilicet Platonici, postulerunt unum esse summum Deum, causam omnium, post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales a Summo Deo creatas, quas nominabant Deos; participatione scilicet Divinitatis, nos Angelos dicimus: post quos ponebant animas celestium corporum, & sub his demones, quos dicebant esse aërea quadam animalia: & sub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel demonum societatem assumi credebant: & his omnibus cultum Divinitatis exhibebant, ut Aug. narrat. 8.

de Civit. c. 14. (Ibid.) Has autem duas ultimas opiniones dicebant pertinere ad Theologiam Physicam; alteram de cultu hominum ad Theologiam fabularum; alteram ad Theologiam Civilem.

Nec obstat, quod Scriptura Ps. 96. dicat: *Omnes Dii Gentium demonia*: quia, licet alii simulacra, alii homines, alii demones colerent, tamen demones omnibus his aderant: & quæ fiebant, sive per simulacra, sive per alios Deos fictitios, ope demonum fiebant; proindeque cultus, qui ratione istam operum impendebatur, demonibus exhibebatur.

Dixi in definitione: *Cultus divinus*: id est, quodcumque signum honoris exhibitum creaturæ ut Divinitati: licet enim solum sacrificium, & ea, quæ ad ipsum pertinent, ut Templi, Altaria, Sacerdotes &c. sint secundum se cultus Divinus, quia soli Deo conveniunt: alii vero actus honorifici, ut genuflexio, incurvatio, oratio, & similes sunt communes cultui Dei & creaturæ: si tamen eos exhibeas creaturæ tanquam Divinitati, verè est Idolatria; quia tales ex intentione determinantur ad Latriam. Vide supra de Adoratione.

Dico 2. Præter assignatos modos idololatriandi, duplex insuper distinguitur Idolatria; interior, qua quis animo & affectu venerat creaturam ut Deum; & exterior, qua hæc internam reverentiam signis exterioribus potestatur & significat: sicut diximus supra a contrario esse duplicem Adorationem, seu Latriam, internam & externam.

Et sicut exterior Adoratio sine interiori non est propria & formalis Adoratio, Idolatria exterior sine interiori non videtur formalis & vera Idolatria, sed materialis tantum & improprie dicta; est tamen multiplici modo peccatum gravissimum 1. Est contra Religionem exhibens exterioris creaturæ honorem reputatum divinum. (Ibid. a. 2. o.) 2. Est plenissimum mendacium in cultu Religionis: Deo valde injuriosum, & apud homines scandalosum. 3. Est contra præceptum confessionis veræ fidei, impingens in illud Christi Math. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*. (Ibid.) Hoc modo Seneca videtur fuisse Idolatra, quem Aug. 6. de Civit. c. 10. inducit sic loquentem: *Si adorabimus, ut meminerimus hujusmodi cultum magis ad morem, quam ad rem pertinere*. Et de quo ideo pronuntiat S. Aug. ibid. quod eo damnablem colebat Idola, quæ illa, quæ mendaciter agebat, sic agebat, ut eum populus veraciter agere existimaret. Sic etiam sunt Idolatriæ, qui metu tyranni, ut ex consuetudine, aliave ratione humana, exterius Idolo exhibent cultum absque affectu interno colendi; quales sunt nostris temporibus Chineses Christiani colentes exterius Confucium Philosophum, Cæcium materiale, & Parentum Manes.

Potest iterum distingui duplex Idolatria, perfecta & imperfecta. Perfecta est, cum quis Idolo, seu creaturæ cultum Divinum exhibet, falso existimans Deum esse: & talis Idolatria est conjuncta cum infidelitate. Imperfecta est, cum qui sciens Idolo, seu creaturæ nullam inesse Divinitatem, tamen ex pravo affectu, puta, ex odio contra Deum verum, aut ex desiderio aliquid obtinendi, demoni, vel alteri creaturæ cultum detert tanquam Deo. Porro, licet hujusmodi cultus deficiat a perfectione Idolatriæ secundum intellectum, quia non procedit ex falsa existimatione Divinitatis; non deficit tamen secundum voluntatem, quia procedit ex affectu internæ reverentiae & submissionis erga creaturam tanquam Deum: & est aliquo sensu gravius peccatum, quam prior; quia hæc secundum quid excusatur propter ignorantiam, illa vero procedit ex mera malitia voluntatis: & insuper est quædam simulatio Deo injuriosa; simulat enim, qui sic agit, credere creaturam esse Deum, quod tamen non credit. Nullam vero esse Idolatriam in invocatione Sanctorum, diximus supra de Oratione: neque in cultu sacrarum Imaginum, late probavimus Dissert. ultima de Incarnatione; require in his locis. Interim sit ad ampliore Hæreticorum consultationem in hac materia.

§. II. Utrum in solo cultu, quo creatura colitur ut Deus, sit Idolatria.

Negat Calvinus l. 1. Instit. c. 11. n. 8. & 9. cum suis sequacibus: vultque, tunc etiam proprie Idolatriam committi, quando Deus verus colitur aliquo cultu, quem ipse non mandavit; unde inferunt, Catholicos committere Idolatriam, quando colunt Deum, aut Sanctos per Imagines, Reliquias &c. Verum cum Catholicis ad Questionem.

R. Affirmativè. Prob. evertendo hoc Hæreticorum fundamentum. Falsum est absurdum, cultum esse malum,

aut idololatricum, quia non est præceptum: ergo. Prob. Ant. 1. Ex Scriptura: Judæi instituerunt aliquot dies Festos; quos Deus non præceperat, ut patet Esther 9. Judith 13. 2. Michab. 10. Noë ædificavit Altare Domino, Genes. 9. Idem fecit Abraham Genes. 12. & Jacob Genes. 28. *Lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper*; omnes injussi, nec tamen usquam Idololatriæ. Prob. 2. ratione idem Ant. Multa sunt bona in omni genere virtutum aliarum, que non sunt præcepta, ut abstinentiæ, elemosynis, orationibus, votis, uno verbo in omnibus operibus supererogationis: in ipsa ratione cultus, vel obsequii, nunquam enim vir sapiens, aut etiam sanæ mentis, cultum & obsequium sibi delatum loco injuriæ habuit, aut repudiavit eo solo nomine, quod illud non mandasset: imò servus censetur minus obsequiosus & minus addictus domino suo, qui nullam obsequium, aut cultum vult illi deferre, nisi præcepto compulsum.

Reponunt Hæretici non idèo talem cultum esse idololatricum, præcisè quia Deus non mandavit, sed quia prohibuit omnem cultum, quem non mandavit his verbis Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec adas quidquam, nec minus*. Sed contra. Jam millies & ad nauseam responsum est, tantum prohiberi verbis laudatis, quæ adversantur cultui Dei præcepto, & ipsum corrumptum, ut sunt Gentilium cæremoniae, de quibus est questio loco cit., ut legenti textum patet. Evincitur insuper hujus nostræ responsionis veritas ex ipsis factis Judæorum, relictis in probatione. Adde, quod licet omnis cultus prohibitus sit malus, non est tamen idèo semper idololatricus: alias sequeretur, quod Oratio immolata, aut sine attentione facta, esset Idololatria, quod est absurdum.

Confirmatur Conclusio: Nomen Idololatriæ in Scriptura Sacra & apud SS. Patres nunquam accipitur nisi pro cultu, quo creatura colitur ut Deus, aut pro affectu, quo quis adheret creaturæ tanquam Deo, seu fini ultimo: ita etiam ut, quando metaphoricè sumitur (ut cum avaritia vocatur Idololatria) respiciat creaturam quodammodo tanquam Deum. Quod latè probat Valentia hic puncto 1. ergo.

Obijciunt insuper Hæretici Judæi adorantes vitulum aureum in Deserto non intendebant cultum delere illi effigiei, quam sciebant nullam vim habere (neque enim tam citò poterant oblivisci eorum, quæ Deus fecerat in Ægypto & in mari Rubro) sed Deo vero per ipsam. Atqui nihilominus habitus sunt Idolatriæ, quia id fecerunt per effigiem sine Dei mandato. Similiter Paganorum Idololatria in hoc sita erat, quod Deum voluerint sibi præsentem habere per imagines, & illis eum coluerint: ergo &c. R. Falsum omnino esse, quod assumitur tam de Judæis, quam de Paganis. Quoad Judæos; centies in Scripturis reprehenduntur, quod Deum verum dereliquerint, & adoraverint Deos, qui nihil sentiunt, nihil norunt, nihil possunt. Et singulariter Ps. 105. *Citò fecerunt, obliiti sunt operum ejus... & fecerunt vitulum in Horeb: & adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magna in Ægypto, mirabilia in terra Cham: terribilia in mari rubro... Et commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum: & servierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum. Et immolaverunt filios suos, & filias suas demoniis, &c. Similiter Deut. 32. *Immolaverunt demoniis & non Deo, diis quos ignorabant: novi recentisque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & obliisti es Domini creatoris tui. Quæ, & alia plura similia patidi & aperti mendacii Calvinum & Calvinistas arguunt.**

Et sanè, si Judæi similitudinem Dei sibi voluissent fingere, ut ejus recordarentur, & in ea ipsam adorarent: cur potius similitudinem vituli, quam alterius rei, finxissent, cum nunquam Deus sub hac forma illis apparuisset? Undè longe verisimilius est, eos longè sibi fingere & colere præcipuum Deum Ægyptiorum Apim, qui sub forma bovis pingebatur, quia putabant illius ope ex Ægypto fuisse eductos, & forte ejusdem ope credebant posse illuc reverti.

Quantum ad Gentiles, patet etiam, mentiri Calvinum ex ipsis Scripturis citatis, & aliis passim in veteri Testamento, & ex Apost. ad Rom. 1. *Servierunt creaturæ potius, quam creatori*. Cor. 10. *Quæ Gentes immolant, demoniis immolant, & non Deo*. Patet etiam diximus ex his, quæ supra diximus ex D. Th. secundum Aug. de variis modis colendi Idola apud Gentes.

Instabis: Gentiles & Judæi, quando adorabant Idolum, saltem putabant esse verum Deum: ergo ex intentione

ipsorum cultus ille tendebat in verum Deum. Sicut, si diabolus loqueretur per Crucifixi imaginem, & tu putares esse Christum adorares ipsum, iste cultus tenderet in Christum: ergo. Confirmatur: Illi colebant Idola propter divinitatem: ergo colebant magis Divinitatem. Etenim propter quod unumquodque tale & illud magis, ut fert commune adagium. R. 1. Ad instantiam & confirmationem simel, Nego utriusque Antecedens. Falsum est enim, Paganos colere creaturas propter veram Divinitatem, sed propter umbram, seu tenuem speciem Divinitatis, quam putant esse veram Divinitatem; nescientes, quid sit vera Divinitas, & cui tribuenda. Undè non sequitur, eos colere veram Divinitatem. R. 2. Ad singula. Dato Ant. instantiæ, Nego Conseq. ex eo enim sequitur tantum, quod intenderent colere id, quod imprudenter putabant esse verum Deum, non autem ipsum verum Deum. Sicut si quisquam, non facta sufficienti iniqua sufficienti, sitione, quis & ei summum honorem ut Regi deferret, ob aliquod commodum ab ipso acceptum, is non censetur vel le honorare verum Regem, sed alium, cui erroneè & injuriosè hanc dignitatem defert. Ità pariter Ethnici.

Ad paritatem de Crucifixo: disparitas est, quod Ethnicus dirigat cultum suum ad creaturam, cui sine fundamentum tribuit Divinitatem; Catholicus vero dirigat ad Christum verum Deum, quem errore facti putat loquentem in Crucifixo.

Ad confirmat. Dato Gentes id, quod colebant, intendisse colere propter Divinitatem, & ipsam Divinitatem fuisse rationem formalem cultus; tamen in hoc peccassent, & fuissent Idololatriæ, quod hæc Divinitatem tribuerent, ut dixi, absque ratione rei creatæ, & creaturam colerent ut terminum integram adorationis: sicut, si quis habens veram apprehensionem Divinitatis putaret eam convenire alicui homini, sicut inerat Christo, v. gr. & hunc ut Deum adoraret: qui ratione Montanista, qui putabant Montanum esse Paracletum, erant veri Idololatriæ, si cultum suæ opinionis conformem ei deferebant. Sic etiam ipsi Calvinista accusant nos Idololatriæ, qui adoramus in Eucharistia Christum, qui secundum ipsos ibi non est; licet tamen intentio nostra feratur in veram Divinitatem.

§. III. Utrum Idolatria sit peccatum, & quantum Quæ ejus causa & origo.

Dico 1. (Art. 3. o.) Idolatria ex parte objecti, seu ex genere suo, est gravissimum peccatum, prohibitorium Exod. 20. Ubi de Idolis dicitur: *Non adorabis ea, neque coles*. Prob. (Ibid.) Sicut in Republica censetur gravissimum crimen, si quis alium, quam legitimum Principem pro Rege agnoscat, eique honorem Regium impendat; sic gravissimum est, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat, faciens quantum in se est alium Deum in mundo, & minus Principatum divinum. Undè, sicut ille est reus læsæ Majestatis humanæ, sic iste divinæ: ergo.

Sed petes, utrum Idolatria sit omnium peccatorum gravissimum? R. Affirmativè in sensu D. Thomæ, intelligendo scilicet de perfecta Idolatria, quæ includat infidelitatem & odium Dei; est enim utriusque protestatio. Nam colens Idola, quantum in se est, tollit à Deo suam singularem excellentiam, qua est solus Deus, & hæc ipsa Deitas; quod ad odium Dei pertinet. Insupèr negat hujusmodi singularitatem, quod ad infidelitatem spectat & consequenter est gravius & odium Dei, & infidelitate secundum se spectatis, atque adeo à fortiori, omnibus aliis peccatis.

Dices: Odium Dei directum, quantum est ex se, directè tollit divinum esse, & annullat Deum: Idolatria autem directè tantum minuit divinum esse, & tantum dat illi æqualem. Undè secundum S. Th. supra q. 34. a. 2. odium Dei est omnium peccatorum maximum. R. Ant. Idololatria tantum directè minuit divinum esse, &c. Idololatria præcisè, C. Idololatria summa, N. Cum autem comparantur peccata ad invicem secundum genera sua; ut recta sit comparatio, debet comparari summum cum summo; & quia ponitur hic summum Dei odium, quo qui directè vellet Deum totaliter non esse, sic oporteret poni e regione summam Idololatriam, quæ ex tali odio procederet, & sic Idololatria invenitur gravius.

Dico 2. (Art. 4. o.) Duplex est causa Idololatriæ. Una dispositiva ex parte hominum. Altera consummativa ex parte demonum. Quantum ad 1. (Ibid.) tripliciter homines disponebantur ad Idololatriam. 1. Ex inordinatio-

ne affectus erga parentes, vel amicos suos defunctos, quorum idem imagines sibi fecerunt, eosque cultu majore, quam par erat, & tandem divino colerunt, & per suos colli fecerunt, ut elegantè describitur Sap. 14. Vide. 2. Ex delectatione, (*Ibid.*) quam homo naturaliter percipit ex representatione, & tanto magis, quanto expressiores sunt representationes. Unde factum est, ut homines rudes, a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressivè factas, divinitatis cultum eis impenderunt, adjuvantibus aliis Idololatriæ causis; ut etiam describitur loco cit. Scripturæ. 3. Ex ignorantia veri Dei, cujus super omnes & omnia excellentiam non considerantes, & quod sit ipse solus omnium Auctor & Governator, quibusdam creaturis propter singularem earum virtutem, sive potentiam, sive pulchritudinem, divinitatis cultum exhibuerunt. De quibus iterum Sap. 13. His Idololatriæ dispositionibus (*Ibid.*) ex parte hominum accedebat causa consummationis ex parte demonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in Idolis dando responsa & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendū. Unde Ps. 95. dicitur *Omnes Dii Gentium demonia.*

Dico 3. (*Ibid. ad 2.*) Probabile est, quod in prima mundi ætate, scilicet ab Adamo ad diluvium, non fuerit Idololatria, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua vigeat adhuc cognitio unius Dei in mente hominum. Aliudè Scriptura nullam facit mentionem Idololatriæ toto illo tempore. Et ita sentiunt Irenæus l. 5. adversus Hæres. c. 29. Tertullianus de Idololatr. c. 4. Cyrillus Alexandr. l. 1. in Julian. ante med. & l. 3. sub finem.

Si dicas, memoria diluvii non impedit, quin paulo post vigeret Idololatria: ergo nec memoria creationis mundi. R. N. Consequ. Disparitas est, quod magis clamet creatorum suorum creaturam productam per creationem, quam earum destructio per diluvium; quia creaturæ semel productæ permanent, earumque testimonium lumine naturali confirmatur; adde, quod in illa ætate nihil magis decantatum erat, quam creatio mundi. Diluvium verò cito præterit & abstulit illos, qui huius poenæ experti meminisse potuissent. Quosdam equidem reliquit, sed quorum posteri huius erga Parentes beneficii facile luerunt obliti.

In sexta mundi ætate, (*Ibid.*) nempe a Christo nato ad finem mundi magna ex parte exclusa est Idololatria per virtutem & doctrinam Christi, qui de diabolo triumphavit. In secunda mundi ætate, scilicet post diluvium, incepit Idololatria. Sed quo præcisè tempore, quisve primus ejus auctor fuerit: certò affirmari non potest. (*Ibid. in arg. 2.*) Quidam dicunt fuisse Nembroth, seu Nembord, circæ ann. mundi 1800. qui coegit homines adorare Ignem. Alii, ut SS. Hieronymus & Cirillus Ninum circæ ann. mundi 2860. qui erexit elegantem Statuam Patris sui Beli, ut in ea divino honore coleretur, ad quam si quis mortis reus confugeret, poenam mortis evaderet. Isidorus l. 8. Etymolog. refert, Prometheam primum apud Græcos simulacra hominum de luto finxisse: Judei e contra id tribuunt Ismaeli. Lactantius l. 1. de falsa Relig. c. 22. & 23. dicit, Melissum Creteusium Regem colendorum Deorum primum Auctorem fuisse, illis primo sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Idem asserit, Sabinum Regem ejusdem superstitionis Romanis Auctorem fuisse.

ARTICULUS III.

De Divinatione.

§. I. Quid, & quotuplex sit Divinatio?

Divinatio (Q. 95. a. 1. o.) secundum nominis etymologiam dicitur quasi *divina actio*; & *divini*, inquit Isidorus l. 8. Etymolog. c. 9. dicitur quasi *Deo pleni*: *Divinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura conjectant.* Unde secundum vocis significationem,

Dico 1. (*Ibid.*) Divinatio proprie dicta est *prænotio*, seu *prædictio futurorum modo indebito.* Explicatur. (*Ib.*) Futura dupliciter prænotari possunt; in suis causis, & in seipsis. Cognoscere futura in seipsis, antequam fiant, non hominis aut ullius creaturæ, quæ solum præsentia in seipsis inveniunt, sed solius Dei est, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt quasi præsentia, ut dicitur in 1. parte. Unde dicitur Isaie 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.*

Causæ autem futurorum (*Ibid.*) tripliciter se habent.

Quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus. Quædam non ex necessitate, nec semper, sed ut in pluribus. Quædam sunt indeterminatæ & ad utrumlibet, quales sunt potentie rationis.

Si quis ergo, (*Ibid.*) habens notitiam causarum necessariorum, aut plerumque contingentium prænotat effectus illorum certò, ut Eclipses Lunæ, horum autem probabiliter, ut pluvius, ventos futurum &c. non dicitur divinare, quia non prænotat indebito modo. Quia verò futura, quæ ex causis liberis & indifferentibus, aut etiam raro contingentibus pendet, prænotare teneant, indebito modo prænotant, & divinare dicuntur. Dixi in conclusione: *Divinatio proprie dicta*; quia sola futurorum prænotatio dicitur proprie divinatio. Quia tamèn multa alia, quæ sunt, aut fuerunt, nobis sunt ignota, (*Ibid. a. 3. ad 2.*) Divinationis nomen extensum est ad omnem illicitam prænotationem rerum præsentium, aut præteritarum ita occultarum, ut naturaliter sive per humanam industriam sciri non possint. Unde divini & divinare dicuntur, qui v. gr. occultum furem indicant, qui res perditas ostendunt, qui causas occultas mortis, aut morbi aperiunt. &c.

Quapropter, generaliter loquendo, peccatum divinationis est, cum quis circa revelationem tentat prænotare, vel prædicare res quaslibet ipsi naturaliter ignotas, quod fit auxilio demonum, tacite vel expresse invocato; nec enim aliter potest. Pro quo.

Nota, quod licet demones non possint certò cognoscere futura, quæ pendet a libero arbitrio, longe tamèn plura quàm homines cognoscunt de futuris, aliisque oculis, idque variis modis. (1. p. q. 64. a. 1. ad 5.) 1. Quia subtilitate suæ naturæ intellectualis, quæ remansit integra, perfectius cognoscunt vim causarum naturalium, ut Solis, Lunæ, syderum, plantarum, animalium &c. Unde facilius colligere possunt effectus ex eis securus, ut ventos, tempestates, naufragia, mortes &c. 2. (*Ibid.*) Quia, Deo permittente, possunt plura de rebus futuris cognoscere per revelationem à sanctis Angelis, cum quibus licet non conveniant per conformitatem voluntatis, conveniunt tamèn per similitudinem naturæ intellectualis, secundum quam possunt accipere, quod ab aliis manifestatur. 3. (*Ibid.*) Quia per experientiam longi temporis norunt quid, ex quo, in causis liberis sequi solet, quibus rebus voluntas humana huc, vel illic impelli consuevit. 4. Quia vident in locis longinquis causas positas, vel effectus inchoatos & celeritate suæ naturæ illos antevertere, & alibi prædicare possunt. 5. Quia possunt scire, quid ipsi, vel alii demones, Deo permittente, sint facturi.

Dico 2. (*It. a. 2. o.*) Divinatio est species superstitionis, qua cultus Divinus impenditur demoni, non directè & ex intentione honoris, vel adorationis, ut in Idololatria, sed indirectè & ex consequenti. Prob. (*Ibid.*) Sicut ad cultum Dei pertinet, non solum cum aliquid Deo offerunt, ut sacrificium, oblatio, vel aliquid ejusmodi, sed etiam cum aliquid divinum assumunt, ut dicuntur est de juramento, ita ad superstitionem pertinet, non solum cum demonibus sacrificium offerunt per Idololatriam, sed etiam cum eorum auxilium assumunt ad aliquid faciendum, vel cognoscendum; atque omnis divinatio ex operatione demonum provenit, vel quia expresse invocantur ad futura manifestanda, vel tacite quatenus se ingerunt variis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate: ergo.

Confirmatur: vel assumunt auxilium demonis ad prænotanda, seu prædicanda ea, quorum notitia est soli Deo propria, & tunc manifestum est, quod illi tribuatur aliquid, quod nulli creaturæ, sed soli Deo competit: vel assumitur ad scienda, seu prædicanda, quæ quidem sunt ignota, possunt tamèn, naturaliter sciri; & tunc, licet divinus non confugiat ad demonem pro notitia Deo propria, tamèn demoni cooperatur in usurpatione alicujus honoris & excellentiæ divinæ, quem affectat & requirit per istam societatem & auxilium à se præstitum, intendens ut divinus, Deo relicto, ipsi in hoc confidat, quod est aliquid cultum divinum illi deferre, adeoque superstitionis.

Dico 3. (*Art. 3. o.*) Duplex est genus divinationis: primum, quod est per expressam demonis invocationem; secundum per tacitam. Et hoc est iterum duplex. Unum, quod fit per considerationem, vel motum alterius rei: aliud per considerationem alicujus operis necessarii. Unde universaliter est triplex genus divinationis, sub quo singulis continentur variae species juxta diversos modos,

dos, quibus vel demon consultitur, vel consultus respondet, vel occultum investigatur. Sub primo genere, quod est expressa demonis invocatio, continentur sequentes species. (*Ibid.*) Prima Præstigiis, quod dicitur demon præstigiis quibusdam apparitionibus se aspectui, vel auditui hominum ingerit ad prænotandum futurum: vocatur præstigiis, quia oculi, seu aures hominum præstringuntur, ita ut ipse solus videt, seu audit, alii non.

Secunda (*Ibid.*) est Divinatio somniorum, quando demon invocatur per hominem certo modo, aut loco, aut situ cubantem, ipsum somnare facit, quæ vult ipsi sudere, aut aliter ipsi dormienti revelat.

Tertia (*Ibid.*) est Nigromantia, quando quibusdam incantationibus, & sæpe adhibito sanguine, rogatur demon, ut mortuum aliquem suscitet, & suscitatus apparens ad interrogata respondeat. De suscitatione veri, vel ficti Samuelis a Pythonissa, de qua r. Reg. 28. dicemus in Digestione Historica post hanc Dissertationem. (*Ibid.*) Quarta est Divinatio per Pythones, quando demon futura prænotat per homines vivos, sicut in arreptiis patet, plerumque formans voces per umbilicum, & quandoque per partes pudendas (*Ibid.*) Quinta est, quando demon prænotat futura per aliquas figuras, aut signa, quæ in rebus inanimatis facit, quæ si apparent in aliquo corpore terrestri, puta ligno, ferro, lapide, &c. vocatur *Geomantia*; si in aqua, *Hydromantia*; si in aëre, *Aëromantia*; si in igne, *Pyromantia*; si in visceribus animalium immolatorum demoni, *Haruspicium*. Ad Geomantiam reducitur *Oraclum*, quando demon consultus respondet per Idola.

Sub secundo genere, quod fit absque expressa invocatione demonis, per considerationem dispositionum, & motuum aliarum rerum, quæ ad futurorum cognitionem nihil conferunt, continentur sequentes species. (*Ibid.*) Prima est Astrologia judiciaria, quando quis conatur futura præcognoscere ex consideratione situs, & motus syderum: huc pertinent Genethliaci (*domeurs d'horoscope*). Secunda, (*Ibid.*) si quis tentat futura cognoscere per motus veloces avium, seu quorumcumque animalium, sive per sternutationum hominum, vel membrorum saltus. Si ex garru avium, dicitur *Augurium*; si ex inspectione avium dicitur *Auspicium*. Tertia (*Ibid.*) est Omen, quando hujusmodi consideratio fit circa verba hominum absque intentione dicta, quæ quis detorquet ad futurum, quod vult cognoscere. Quarta, (*Ibid.*) Chyromantia, quando ex lineamentis manûs considerat Divinatio sumitur, aut ex lineamentis vultus; & tunc dicitur Physiognomia; vel ex lineamentis alterius partis corporis.

Tertium (*Ibid.*) genus Divinationis communi nomine dicitur Sortilegium, & est, quando absque expressa demonis invocatione aliquis tentat cognoscere aliquid occultum ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex actione sua, vel alterius serò facta, nihil ad hoc pertinente v. gr. si quis considerando ex projectione taxillorum, quis plura puncta projiciat, vel quid aperient librum occurrat, vel quæ figura in plumbo liquefacto in aquam projecto appareat, & ex similibus tentet cognoscere, vel prænotare futurum, aut occultum: quæ omnia sortium nomen habent.

Petes 1. Utrum omnis Divinatio sit peccatum mortale? R. Omnis Divinatio, quæ fit cum expressa demonis invocatione, est semper peccatum mortale; tum propter Divinum cultum, qui diabolo per talem invocationem exhibetur, ut dictum est; tum propter manifestam societatem cum infensissimo Dei hoste, quæ in magnam Dei concepsum, & injuriam redundat; tum denique propter periculum apostasiæ; quia diabolus facile, Deo permittente, hominem, qui suam societatem querit, suis artibus a Deo avertit, & sibi totaliter obstringit. Neque a mortali excusatur, saltem fideles, propter ignorantiam ob nimis evidentem talis actus malitiam.

Divinatio verò per tacitam demonum invocationem, licet sit ex genere suo mortale peccatum, utpote cultus falsi numinis, tamèn propter fidem, simplicitatem, aut ignorantiam non nimis crassam agentis potest quandoque excusari a mortali. Quapropter, inquit Sylvius hic post Cajet. & alios, si quis hujus speciei Divinationem tenet ex joco, & levitate, non credens eam utilem, sed potius vanum, & inutilem, aut nesciens esse ibi aliquam demonis invocationem, non peccat plusquam venialiter. Idem est iudicium, si ex somnio, augurio, & similibus aliquem timorem de futuris concipiat, sed tamèn non eis adhibeat fidem; aut si semel & iterum faciat, aut omittat aliquid sibi liberum ex tali timore, non tamèn vitam, & actiones suas ad talium Divinationum normam dirigat.

Petes 2. Utrum omnes Divinationis species recensitæ sint

ita distinctæ, ut necesse sit eas exprimere in Confessione? R. Ex communiore sententia negativè; quia non videntur diversæ species formaliter, & in genere moris, sed tantum materialiter. Ità laudatus Sylvius post Sotum, & alios. Unde non est necesse distinguere, an divinaveris per inspectionem lineamentorum, vel avium, vel per sortes, &c. Expripiendum tamèn est, an per expressam, vel tacitam tantum invocationem; tum quia prior divinatio est semper peccatum mortale, ut diximus, secunda potest esse veniale; tum etiam (*Ibid. ad 1.*) quia multò gravius est demones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, ut se demones ingerant.

§. II. Utrum omnis divinatio per astra, hoc est, omnis Astrologia sit illicita?

Dico 1. (*Art. 5. o.*) Astrologia naturalis, quæ ex consideratione motus Cælorum, cursûs syderum, conjunctionis, seu oppositionis planetarum, prænotantur certò effectus ex eis naturaliter, & necessariò securus, ut eclipses, ortus, & occasus Solis, & Lunæ, &c. vel probabiliter prænotantur, quæ ex eis plerumque solent evenire, ut pluvius, ventus, tempestates, siccitates, frigus, ætas, &c. est licita. Quia, sicut hujusmodi causæ possunt naturaliter cognosci, & de facto cognoscuntur ab Astronomis, ita & effectus, qui ex ipsis necessariò, vel plerumque sequuntur, possunt certò, aut probabiliter cognosci, & prænotari. Ultra verò progredi, & quæ tantum sequuntur ut plurimum ex prædictis causis, velle certò prædicere, at minus vanum est, & temerarium. 1. Quia nec potest habere certò perspectas omnes syderum proprias virtutes, neque quid sive singula, sive conjunctim in quovis aspectu, v. g. trigono, sexagono, &c. (qui aspectus infinitis propè modis variari potest) producere possent. 2. Ex aliis causis, ut a ventis, vaporibus, æstu, frigore, &c. potest esse aër variè dispositus, unde facile actio syderum variatur: varia enim affectio mediæ mutat actiones causarum, & idè videntur sæpe nubes imbrium gravidas, & ad pluviam proximè paratas, per ventos alibi excitatos alio transportari. 3. Juxta Doctos in arte nunquam hæcenus idem aspectus syderum restitutus est, sic nulla experientia certa capi potuit. Unde patet, quàm vanæ sint prædictiones, quæ quotannis vulgantur per Ephemerides (vulgo *Almanachs*).

Itè multo magis vanum est, & temerarium velle hominum inclinationes, & temperamenta, puta hunc fore melancholicum, iracundum, luxuriosum, &c. certò, imò, & probabiliter prædicere, ex hoc quod tempore natiuitatis ejus fuerit talis, vel talis aspectus syderum. 1. Quia impossibile est exactè notare, quis sit aspectus syderum in puncto natiuitatis, nam in actu oculi juxta Astronomos aspectus syderum mutatur; natiuitas autem totius hominis admittit motum, unde oporteret, hominem tot habere temperamenta, quod habet membra successive nascentia. 2. Potius inspicendum fore punctum animationis, quàm natiuitatis ad tales prædictiones: si enim virtus Astrorum profundum terræ penetrat, facilius potest penetrare uterum maternum, in quo fetus tenerimus, & ad impressiones corporeas aptissimus est. At verò punctum istud nequam sciri potest. Adde, inclinationes, & temperamenta magis pendere ex Parentum temperamento, & ex eorum, ac prolium nutrimento, quàm ex Astris.

Potè notant Auctores, Layman, Lessius, Sylvius, & alii, quos citat, & sequitur, hujusmodi prædictiones non excedere culpam venialem temeritatis, imprudentiæ, vel etiam mendaciæ, nec pertinere ad superstitionem ab Ecclesia reprobata. Hæc fortè ratione (nullam enim laudat Auctores proferunt), quod nulla ibi interveniat invocatio, & etiam implicita, demonis; sed, qui talia prædicunt, credunt, & contentunt, se hæc posse scire ex Astris propter rationes, quas ipsi probabiles reputant, licet a nobis improbenitur.

Dico 2. (*Ibid.*) Astrologia judiciaria, quæ ex syderum aspectu, & situ judicat de his, quæ pendet ex libero hominis arbitrio, aut de eventibus fortuitis, seu quæ aliquis suum omnino occulta, ut de alicujus hominis statu, matrimonio, cælibatu, vitæ cursu, dignitatibus, proliis, salute, morte, certaminibus, cædibus, prosperitate, adversitate, &c. est prorsus illicita. Prob. 1. ex Scriptura Jer. 10. *Dens dicit: Juxta vias gentium nolite discere, & a signis cali nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vane sunt.* Prob. 2. ex Jure. Caus. 25. q. 5. referuntur plures Canones contra hujusmodi Astrologiam. Itè in Indice librorum prohibitorum a Concilio Triid. & maxime ex Bulla *Cali*, & *Terræ locator*, data a Sixto V. an-

ann. 187. ubi mandat Inquisitoribus, ut severe Canonice poenis, & aliis arbitriis animadvertant in eos, qui hujusmodi Astrologum exercent, etiam id, quod prædicunt, non se certo affirmare aasserant, aut protestentur. In eos etiam graviter invehunt SS. Patres, Basilus, Ambrosius, Leo, & maxime Aug. l. 2. de Doctr. Christiana c. 21. & alibi.

Prob. 3. (Ibid.) ratione. Omne corporale signum vel est effectus, vel causa ejus, cujus est signum, vel procedit ab eadem causa cum signato, & sic dum designat causam, significat etiam effectum: sicut v. gr. Iris quandoque significat serenitatem, in quantum utriusque est eadem causa; atqui nullo ex his modis astra sunt signa eventuum fortuitorum, seu actionum humanarum: ergo hæc astris cognosci non possunt. Patet Conseq. quia nullus est alius modus talia ex astris cognoscendi. Prob. Minor. Et r. plusquam evidens est, astra non esse effectus fortuitorum eventuum, aut actionum humanarum. Nec etiam reduci possunt in eorum communionem, nisi in providentiam divinam. Verum diversimodè disponuntur a divina providentia motus, & situs astrorum, & eventus contingentes; illa nempe secundum rationem necessitatis, ut semper, & eodem modo proveniant; hæc autem secundum rationem contingentie, ut variabiliter contingant. Tandem dici non potest quod motus, & situs astrorum sint causa effectuum fortuitorum, & liberorum: non fortuitorum; quia eventus fortuiti sunt entia per accidens, ens autem per accidens, cui non sit simpliciter ens, nec simpliciter unum, sed multa, sicut v. gr. quòd lapide cadente fiat terre motus, aut quòd homine fodiente sepulchrum inventiatur thesaurus, non habet unam causam determinatam maxime naturalem, qualis est virtus celestium corporum, sed plures. Neque etiam liberorum; quia intellectus, & voluntas, a quibus procedunt actus liberi, sunt potentie spirituales; in quas corpora, quæ sunt astra, directe imprimere, aut agere non possunt, sed solus Deus: ergo.

Nec obstat, (Ibid.) quòd corpora celestia possint saltem indirectè, & dispositivè inclinare præfatas potentias ad actus liberos, in quantum scilicet imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ inclinant ad actus humanos. Id, inquam, non obstat; quia vires sensitivæ obediunt rationi, & ideo nulla necessitas ex hoc imponitur libero arbitrio, sed contra inclinationem corporum celestium homo potest per rationem operari.

Hinc colliges r. Hoc axioma vulgatum Astrologorum: *Astra inclinant, sed non necessitant*, esse intelligendum de inclinatione indirecta, & dispositiva tantum, non de inclinatione directa voluntatis. Colliges 2. (Ibid. ad 2.) Quòd, licet propter hanc inclinationem dispositivam Astrologi possint fortè aliquo modo probabiliter vera prænuñciare indefinite in communibus eventibus, qui dependent a multitudine, quia plerique hominum passiones corporales sequuntur, & pauci sunt sapientes, qui eas per rationem moderantur, nullatenus tamen per certitudinem absque superstitionis labe. In particulari vero opera humana sive certò, sive etiam probabiliter prænuñciare de tali, vel tali homine, v. gr. quòd talem statum sit amplexurus, matrimonialem, vel calibem, quòd tantum sit victurus, quòd tali mortis genere sit moriturus, quòd tor proles sit habiturus, quòd opes sit consecuturus, quòd bonus, vel malus sit futurus, & similia, superstitionis est propter rationes conclusionis, & per Bullam Sixti V. supra cit. damnatum.

Dices r. Astrologos aliquando vera prædicere: ergo. R. Sæpius falsa prædicere, quam vera; sed illa non notantur sicut vera. Quòd autem aliquando vera prædicunt, fit, vel quia dæmon procurat fieri, quòd prædicunt, ut artem pestiferam commendet; vel quia ita casu accidit; vel quia dæmon suggerit sibi nota; vel quia res ex aliis circumstantiis sagaci ingenio potest conjici; vel denique quia is, cui bona nuntiantur, excitatur ad omnia tentanda, ut assequatur; cui autem mala, deicitur in desperationem, & nihil tentat.

Dices 2. Origenes apud Euseb. l. 6. de præpar. Evang. c. 9. tradit, omnia futura esse in celo quasi in libro descripta: ergo. R. In hoc Origenem errasse, sicut in pluribus aliis.

§. III. Utrum omnis divinatio per somnia sit illicita

Nota (Art. 6. o.) Quatuor sunt somniorum cause, duæ interiores, & duæ exteriores. Prima interior est animalis, nempe cogitatio, seu affectio præcedens, ex qua fit, ut inter dormiendum ea volvantur in phantasia, seu imaginatione, in quibus vigilantis cogitatio, seu affectio dñi fuit immobilata; & talis causa somniorum non potest

esse causa, vel signum futurorum eventuum, aut occulorum, ut patet; unde ea ex tali causa velle cognoscere est superstitionis. Secunda causa interior (Ibid.) somniorum est corporalis, nempe interior dispositio corporis, ex qua formatur aliquis motus in phantasia conveniens tali dispositioni: sic homini, in quo abundant frigidum humores, occurrit in somniis, quòd sit in aqua, vel nave: ex atrabile, somniantur tristia: ex abundantia spermatis, libidinoso. Ex his somniis licet conjicere, quæ sit, aut proximè futura sit dispositio corporis; & ad hæc quandoque attendunt medici. Ad alia vero futura inde conjicienda, nihil prosunt.

Prima causa exterior somniorum (Ibid.) eaque corporalis, est aer ambiens, aut impressio corporis celestis; ut si quis dormiat in loco valde calido, vel grave olente, vel dormientis caput luna feriat, alia, & alia erunt somnia, ex quibus de futuro nihil conjectare licet. Secunda causa exterior, eaque spiritualis, est bonus, vel malus spiritus, Deus, vel dæmon.

Dico itaque: (Ibid.) si quis utatur somniis ad præcognoscenda futura secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali, quantum potest se virtus talis cause extendere, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio fiat per somnia a dæmone excitata, vel a causa naturali, sed ultra, quam ejus virtus extendi potest, erit illicita, & superstitionis.

Sed petes, unde sciri potest, an somnia sint a malo, vel bono spiritu, & quò usque causa naturalis, unde oriuntur, se extendat? R. Utrumque esse difficile, ideo parè utendum est somniis ad futura, vel occulta cognoscenda. Est tamen aliquod indicium, esse a Deo, si res bona proponatur in somnio, si somnians maneat quietus, ad devotionem magis affectus, &c. Si secus accidat, indicium est esse a dæmone. In dubio autem consulantur viri prudentes, & docti.

§. IV. Utrum omnes Divinationes secundi generis, quæ scilicet fiunt per observationes exteriorum rerum ut Auguria, Omnia, & similia, sit illicita?

Nota (Art. 7. o.) Manifestum est, quòd motus, & garrulus avium, vel quæcumque dispositiones in hujusmodi rebus consideratæ, non sint causa futurorum eventuum, ideoque ex his tanquam ex causis futura cognosci non possunt. Relinquitur ergo, quòd, si ex eis aliqua futura cognoscantur, hoc erit in quantum sunt effectus aliquarum causarum, quæ sunt simul cause futurorum eventuum. Porro (Ibid.) causa proxima operationum brutorum est instinctus, quo moventur motu natura. Iste autem instinctus potest ex duplici causa procedere. 1. Ex causa corporali, nempe celesti corpore, cum enim bruta non habeant nisi animam sensitivam, cujus omnes potentie sunt actus corporali organorum, subjacet eorum animæ dispositioni continentium corporum, & primordialiter celestium; & ideo nihil prohibet, aliquas eorum operationes esse futurorum signa, in quantum conformantur dispositionibus corporum celestium, & aeris continentis ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus. Alio modo hujusmodi instinctus causatur ex causa spiritali, nempe vel ex Deo, ut patet in columba super Christum descendente; & in corvo, qui pavit Eliam; & in cete, qui absorbit, & ejecit Jonam. Vel ex dæmone, qui utitur hujusmodi operationibus brutorum ad impediendas hominum animas vanis opinionibus. Et eadem ratio (Ibid.) videtur de omnibus aliis hujusmodi præterquam de omnibus: quia verba humana, quæ accipiuntur pro omnia, non subduntur dispositioni stellarum: disponuntur tamen secundum Divinam Providentiam, & quandoque secundum dæmonum operationem. Itaque

Dico, (Ibid.) ut antè, quòd omnis hujusmodi divinatio, si extendatur ultra illud, ad quod potest pertinere secundum ordinem naturæ, vel Divinæ Providentiæ, sit superstitionis, & illicita; quia tunc non fit, nisi ope dæmonis. Hinc colliges r. superstitionis esse prædicere ex garrula, seu volatu avium, aliisque hujusmodi observationibus rerum exteriorum, eventus futuros a libera hominis voluntate dependentes, casusve fortuitos, nisi certò, aut verisimiliter conservet ad hos eventus significandos dirigi per Divinam Providentiam; siquidem, ut dictum est, tales motus neque sunt cause horum eventuum, neque cum eis causam communem habent. Sic superstitionis est prænuñciare aliquod infortunium ex hoc, quòd corvus crociteraverit, aut pica circumvolaverit, aut ex hoc quòd modo semel sternaverit, aut quòd tredecim assideant mensæ: item reputare aliquos dies infaustos, consulere Magos, vel eos, quos vocant Bohamos, seu Ægyptiacos, &

ab eis require bonam, vel malam fortunam, ut ajunt, secundum regulas augurum, & chymanticorum.

Colliges 2. e contra, non esse superstitionis ex garrulo, seu volatu avium probabiliter prædicere pluvias, serenitatem, tempestates, & similia; quia mutatio aeris afficit eorum corpuscula, seu cerebrum, aut spiritus animales, eam autem affectionem statim percipit phantasia, quam volatili, aut garrulo significant. Homines vero non tam facile ista præsentiant; sive quia phantasia eorum est aliis intenta, non enim ab externis præcisè gubernatur in homine, sicut in bestiis, sed a ratione & libera voluntate: sive quia hominibus non est insita illa occulta sympathia cum mutatione Coeli, quam percipiunt in variis animantibus; nisi fortè ratione morbi, aut partis alicujus debilitate, aut singularis temperamenti. Fatui tamèn, & stupidi, quia bruti sunt magis affines, & sensibus, non ratione, reguntur, sæpe magis divinant de rebus naturalibus, quam prudentes.

Colliges 3. non esse etiam superstitionis conjecturas Medicorum de temperamento, inclinationibus, ingenio, valitudine, vita brevi, vel longa, quas ex habitu corporis, conformatione vultus, figura, colore membrorum, & similibus capiunt; item nec a fortiori prædictiones illorum de morbo, morte, sanitate, ex pulsu, colore, sudore, aliisque naturæ excretionibus, & motibus. Colliges 4. nullam esse superstitionem ex præfatis observationibus prænuñciare eventus futuros, etiam liberos, si certò, aut probabiliter constet ad hos significandos dirigi a Deo. (Ibid. ad 3.) Sic Gedeon admonitus verbo inimicorum accepit in signum victorie. Judic. 7. Sic Eliezer servus Abraham oratione præmissa ad Deum, verba Rebecca accepit pro signo matrimonii feliciter conficiendi inter ipsam & Isaac. Dices Job 37. de Deo dicitur: *Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera*: ergo ex lineamentis manus erui potest quid homo sit facturus. R. (In comm. in Job.) Sensum horum verborum esse, quòd Deus in manu, hoc est, in virtute operativa omnium hominum, signat, id est, imprimat varias ipsorum inclinationes ita ut possint intelligere, ad quæ opera corporalia sunt, vel a natura, vel ordinatione divina destinati, alii nempe ad agriculturam, alii ad negotiationem, alii ad militiam, alii ad talem, vel talem artem: unde nec consequentiam.

Quod posset obijci de Joseph dicente se augurum, vide solutum in dicendis de restrictionibus mentalibus in solutionibus object.

§. V. Utrum omnis Divinatio per sortes sit illicita?

Nota 1. (Art. 8. o.) Sortes proprie dicuntur, cum aliquid fit eo, ut ejus eventum considerat aliquod occultum innotescat. Tres sunt species sortium. *Divisoria*, quando queritur judicio sortium, quid cui exhibendum sit, sive illud sit res possessa, sive sit honor, sive dignitas, sive poena, aut actio aliqua. *Consultoria*, quando queritur, quid agere oporteat. *Divinatoria*, quando queritur, quid sit futurum. Nota 2. (Ibid.) Directionem sortium posse expectari, vel astris, vel a casu, vel a Deo, vel a dæmone. Si expectetur ab astris, vel a dæmone, manifestum est in quacunque sorte esse superstitionis. His notatis,

Dico 1. (Ibid.) Sortes divinatoria, ubi expectatur tantum casus fortuitus, nec divina oracula ad terrena negotia adhibentur, utendo v. gr. libro Evangeliorum ad sortiendum, non videtur habere nisi fortè vitium vanitatis, & otiositatis, dum fit absque necessitate, seu utilitate. Si fiat autem cum necessitate, seu utilitate, est licita; quia nulla apparet ibi superstitio, aut inordinatio. Excipie electiones Ecclesiasticas.

Hinc inferes, licere uti sorte divinatoria in dividenda hereditate, vel aliis bonis temporalibus, quando aliter partitio commode fieri non potest. (Ibid.) Item tempore Pestis, aut persecutionis, secundum S. Aug. 180. ubi disceptatur, qui Maistri, vel medici manere, aut fugere debeant. Item juxta eundem l. De Doctr. Christiana, ubi occurrit plures pauperes æquè indigentes, nec habetur unde omnibus subveniant. Item, quando sunt plures æquè nocentes, & Princeps vult aliquibus parere. (Ibid.) Item in electionibus ad temporales dignitates, ut fit de facto in Patria Lebicensi, in electione Burgimagistrorum. (Ibid.) Excipie tamen, ut dixi, electiones Ecclesiasticas, quia hæc ex Spiritu S. inspiratione fieri debent, unde prohibentur in eis sortes Cap. Ecclesia. De sortilegit. C. Non statim C. Non exemplo causa 26. q. 1. Si opponas electionem S. Matthei sorte factam. R. id fuisse ex speciali Dei inspiratione.

Dico 2. (Ibid.) Uti sorte consultoria ad discendum a Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Deo, quid sit agendum, pertinet ad Dei tentationem, nisi fortè ubi, urgente gravi necessitate agendi, deficit humanum judicium: & tunc præmittendæ sunt preces, ut Deus dirigat sortes, juxta illud Prov. 16. *Sortes mittantur in sinum, sed a Domino temperantur.*

Dico 3. Sortes divinatoria, qua res vel futura, vel aliquo occulto exquiruntur, circa speciem Dei inspirationem, aut mandatum, ut in detectione Achan, Josue 7. est illicita, & superstitionis. Quia talis sortis non habet virtutem significandi futurum, vel aliquo occultum, neque ex se, ut patet, neque a Deo, qui id nullibi promisit, aut instituit, neque ab Ecclesiæ institutione, quæ has sortes e contra pluries damnat Caus. cit. 26. q. 1. C. Sortes. C. Pervenit. C. Si quis. C. Clericus. C. Contra. C. Episcopus. Neque a casu; cadant enim fortes sic, vel sic, nihil præsignate possunt: neque a Coelo, cum actiones humanæ sortem mittente non subjiciantur corporibus celestibus. Restat ergo, quòd ejusmodi virtus expectetur a dæmone, quia expressè, vel tacite invocatur, ut sortes dirigat, & effectum, qui prænuñtiatur futurus, procuret.

Dices: Jonas sorte inventus est a Nautis non inspiratis a Spiritu S. cum essent Gentiles: ergo. R. Deum in hoc singulari facto sortes moderatum fuisse propter Jonam, & ea, quæ per ipsum fieri intendebat, nescientibus sortientibus.

Petes 1. Quid sit censendum de judicio ferri candentis, & aquæ ferventis? R. (Ibid. ad 3.) Esse illicitum; tum quia pertinet ad sortem divinatoriam, in quantum ad aliquod occultum cognoscendum ordinatur, ad quòd tamen non valet; tum quia ad tentationem Dei pertinet, a quo non debent peti miracula sine necessitate; crimen enim occultum spontanea confessione, vel testimonio depositione debet probari, vel si id non possit, relinquendum judicio Dei, qui novit solus corda filiorum hominum, ut loquitur Stephanus Papa causa 2. q. 4. cap. Consultasti, hoc judicium reprobans. Iisdem rationibus est damnandum, quòd olim fieri solebat ad probandum, utrum aliqua mulier esset saga: scilicet, ligata projiciebatur in aquam, si in profundum vergebatur, habebatur innocens; si supernatabatur, habebatur suspecta, & subjiciebatur quæstioni.

Si obijcias, aliquos Sanctos, ut S. Brixium & S. Chuno-gundam, suam innocentiam judicio ignis probasse. R. id fecisse, vel ex instinctu speciali Spiritus S. vel ad hoc causa necessaria fuisse adactos, vel ignorantia probabilis existimasse id esse licitum.

Ad id, quòd potest obijci, mulierem in veteri Lege de adulterio suspectam solitam fuisse probari per aquas amaras. R. Illud medium fuisse a Deo institutum, ut patet Num. 5. quòd dici non potest in nova Lege de judicio ferri candentis, aut aquæ ferventis.

Petes 2. utrum ille usus sortium, qui vulgò dicitur *Lotria*, sit licitus. R. Affirmative, modo absit fraus, & servetur utriusque justitia: quia nihil aliud est, quam pactum mutuum, idque spontaneum; scienti autem, & volenti non fit injuria: aliudè nulla Lege prohibetur.

Si dicas, hunc ludum iniri fortunæ, non secus ac ludum alearum, ideoque de utroque eodem modo loquendum. R. Non omne, quòd innititur fortunæ esse illicitum, ut patet de sorte divinatoria: nec ludus alearum prohibetur per Leges Ecclesiasticas, præcisè quia innititur fortunæ, sed quia inde frequenter oritur solent rixæ, blasphemie, facileque exhauritur tota ludentium substantia, quòd regulatè non accidit in *Lotria*.

ARTICULUS IV.

De superstitionibus vanarum observantiarum.

Nota: Vanæ observantiæ dicuntur, cum aliqua fiunt ad aliquem effectum, ad quem nec a Deo, nec a natura ullam vim habent: vel cum ex consideratione alicujus eventus fortunæ conjicit quis aliquid prosperi, vel adversi, & inde actiones suas moderatur: tres sunt species, scilicet ars notoria, observantia sanitatum, & observantia eventuum.

Ars notoria (Q. 94. a. 1. o.) est quædam ratio adipiscendi scientiam sine labore, per inspectionem quarundam figurarum, aut prolationem quorundam verborum, adhibitis interdum jejuniis & orationibus. Observantia sanitatum (Ibid. a. 2. o.) est, quando adhibentur quædam verba, vel alia signa, vel ceremonie inanes ad morbos curandos, ad reddendum immunem contra ictus, & similes effectus. Observantia eventuum (Ibid. a. 3.) est, quando ex eo quòd fortuito accidit homini, aliquis sibi vel al-

teri conjectat aliquid adversi, vel prosperi, & inde suas actiones moderatur: ut si quis manū egrediens offendat pedem, ideo domum revertatur metuens inde iter infaustum. Licet autem iste modus superstitionis sit valde affinis cum divinatione; differt tamen in eo, quod in divinatione principaliter quaeratur futurorum notitia, hic verò directio operatio.

Dico 1. (Art. 1. o.) Ars notoria est illicita, & superstitiosa, quia ille ceremoniarum, quae in hac arte adhiberi solent, non habent vim infundendi scientiam, neque a Deo (si enim nosceret Ecclesia) neque ut patet ex natura rerum adhibitarum, aut ex astris: ergo consequens est hunc effectum expectari a Diabolo.

Dico 2. (Art. 2. o. et ad 1.) Adhibere simpliciter res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosa, & illicita observantia; quia licet adhibere causas naturales ad proprios effectus. Si vero adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel alia quaecumque observantiae, quas manifestum est non habere naturaliter efficaciam ad effectus intentos, erit superstitiosa, & illicita observantia, quia hujusmodi non adhibentur ut causae effectus expectati, cum non sint tales neque ex se, neque a Deo, neque ab Astris, sed tanquam Signa: non sunt autem signa neque a Deo, neque ab Ecclesia instituta: ergo sunt signa ex pacto expresso, vel tacito cum demone.

Hinc inferes, superstitiosos esse, qui sive cum remediis naturalibus, sive sine illis, adhibent quadam verba, quosdam characteres, quosdam figuras, aut alias res, seu ceremonias vanas, & impertinentes ad curandos morbos sive brutorum, ad sistendum sanguinem, ad impedienda vulnera. Item, qui herbas certa die, certa hora collectas, dicunt valere ad hoc, vel illud curandum. Item, qui certo, & infallibiliter sibi pollicentur folioem exitum, bonam mortem, &c. si talem Sanctum colant, si certam orationem recitent; Deus enim tali devotioni non annexit infallibiliter talem effectum; secus, si bona cum fiducia divini auxilii Deum, aut Sanctos colant & orent. Item superstitiosus sunt, qui utuntur imaginibus Astrologicis, ut si quis sub signo Leonis sculptat in auro figuram Leonis, quam dicunt valere contra febres, contra pestem, &c. non enim figura Leonis efficit aurum magis aptum ad influxum signi Zodiaci, quam figura bovis, aut agni.

Dico 3. (Art. 3. o.) Observantia eventuum est superstitiosa, quia, cum fortuiti casus non sint causae, neque signa Divina, vel Ecclesiastica fortuniorum, vel infortuniorum, sequitur, quod sint istorum signa ex pacto tacito, vel expresso cum demone. Sic superstitiosus est, qui ex eo quod egrediens domo pedem offenderit, aut ipsi lupus occurrerit, timet infaustum iter, & ideo domum regressitur; qui accepit in malum omen, quod surgendo sternerit, & ideo lectum repetit; qui cum videat tredecim assidere mensae, timet alicui assidentium mortem, & ideo a mensa recedit.

Dico 4. Suspendere collo, vel aliter portare Reliquias, verba sacra, & similia cum absoluta certitudine, quod qui gerit, non laedet, quod non morietur sine confessione, quod praeservabitur a tali morbo, &c. superstitiosus est ex intentione, qua utitur illis ad certum & infallibilem effectum, qui tamen non est certo, & infallibiliter annexus, sive ex natura rei, sive ex ordinatione Divina. (Art. 4. o. et ad 1. 3. & 4.) Talia verò gestare ex reverentia in Deum, & Sanctos cum bona fiducia divini auxilii ad expectandos effectus, non est illicitum, modò aliunde nihil superstitiosum admisceatur, ut v. gr. iis jungere ignota nomina, certos characteres, excepto signo Crucis, scribere aliquid falsi, ut quod Christus habuerit febres, fidere in modo scribendi, aut portandi, at quod vas continens reliquias sit triangulare, quod verba debeant esse scripta autē, vel post occasum solis, spem ponere in numero dierum, aut in verbis potius, quam in sensu verborum, &c. haec enim omnia sunt superstitiosa.

ARTICULUS V.

De Magia.

§. I. Quid, quotuplex, quale peccatum sit Magia? quae eius signa, et remedia?

Dico 1. Magia, generaliter sumpta, est duplex, naturalis & superstitiosa. Magia naturalis est ratio quadam operandi mira per causas naturales: & haec, quamvis non

sit secundum se illicita, est tamen periculosa, quia illi se facile immiscet diabolus. Magia superstitiosa est ratio quadam operandi mira ope demonis per signa ab ipso instituta. Sicut enim Christum signa sensibilia Sacramentorum instituit ad animae salutem, sic demon Christi amulus sensibilia signa imponit, quorum exhibitione, & usu aliquid operari solet ad animae perniciem. Est iterum duplex Magia superstitiosa, seu potius habet duplicem finem. Vel enim refertur ad ostentationem, sive alius commodum proprium, vel alienum, & tunc communi nomine dicitur Magia; vel refertur ad inferendum nocementum alteri, & dicitur maleficium, quod qui facit, dicitur sortarius, aut sortiaria.

Maleficium verò est duplex: unum veneficum, aliud amatorium. Veneficum est, quo redduntur homines infirmi, foeminae steriles, proles languidae, pecora morvida, arbores sicca, &c. Amatorium, quo excitatur amor venereus erga certam personam: dico: Erga certam personam; quia dicitur esse quidam lapides & herbae, quae naturaliter concupiscentiam inflant, at non erga determinatam personam; quod ideo fieri debet a demone, vel phantasia immutante, vel species objecti pulchrioris exhibente, aut aliis modis. Advertendum tamen, personam hoc maleficio affectam non cogi ad peccatum, sed liberam manere, & cum gratia Dei tentationem vincere posse, adeo ut si illi amori inordinato obsequatur, peccet mortaliter; tamen ratione passionis vehementis est facilis venia digna.

Dico 2. Magia ex genere suo est grave peccatum mortale, utpote contrariens societatem cum demone, Dei & nostri infensissimo hoste; nec admittit levitatem materiae; quod enim in re parva demon invocetur ut amicus, semper & graviter est Deo injuriosum. Attamen in pacto, seu invocatione implicita potest fieri veniale, ratione ignorantiae.

Hinc verò peccato plura alia solent adjungi, de quibus Confessarius magos, & sortarios interrogare debet. 1. Haeresis: multi enim credunt diabolum non esse damnatum, & alia contra fidem. 2. Idololatria, saepe enim demone loco Dei colunt, eique Sacrificia offerunt. 3. Apostasia, plerumque enim abnegant Christum, & Dei fidem, Baptismo renunciant, &c. 4. Blasphemia in Deum, Christum, B. Virginem, Christi & SS. imagines. 5. Sacilegium, quatenus saepe abutuntur rebus sacris, imò quandoque SS. Eucharistia. 6. Luxuria, ut nefandae cum diabolo commixtiones. 7. Damna proximi, homicidia, morbi, mortes animalium, vastationes segetum, &c.

Dico 3. Ex duplici capite dignoscitur opus magicum; ex causis, & effectibus. Ex causis, quando adhibentur causae, quae nec ex natura sua, neque ex instituto Dei, aut Ecclesiae tales effectus producere possunt: v. gr. si ad sanationem vulnerum, aut morborum adhibeantur characteres, sigilla, cruces, exotica nomina, aut etiam Sacra verba, quatenus non proferuntur ut Sacra, nec in ordine ad Deum, sed in profano modo. Si baculus terrae infingatur, ut cesset febris; si pungatur imago Petri, aut vestis separata feriat, & Petrus dolore afficiatur: si tangatur leviter, & statim morbo inficiatur. Ex effectibus, quando effectus superat naturalem industriam, nec ulla est ratio illum expectandi a Deo per miraculum in presentibus circumstantiis: ut si aere sereno subito exciterent tonitrua, fulgura, inundationes, eradicentur arbores, repente sanetur homo, vel equus; conficiantur brevissimo tempore plures leuce, & similia.

Dico 4. Remedia curandi maleficia, alia sunt naturalia, sed haec raro prosunt; quia diabolus facit eorum vim elidit. Alia supernaturalia, ut exorcismi Ecclesiae, aqua benedicta, reliquiae SS. signum Crucis, invocatio Nominis Jesu & Mariae, frequentatio Sacramentorum, oratio juncta jejuniis, & magna in Deum fiducia: juxta illud Ps. 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur. Alia dicuntur remedia moralia, quae pertinent ad dissolvendum pactum cum demone, quando ex pacto nocet; quod fit amovendo signa, ad quorum praesentiam noxam infert. De quo sit

§. II. Utrum liceat tollere signa maleficii eo fine, ut demon cesset nocere?

Suppono 1. ut certum, nunquam licitum esse maleficium maleficio tollere, nec petere, ut sic tollatur a maleficio, etsi ad id se offerente; quia nec peccare, nec alterius peccato positivè cooperari unquam licet. Suppono 2. ut certum, licitum esse tollere ea signa, quae vi sua

naturali nocent, v. gr. venenum, quod maleficus miscuisset alimentis, aut injecisset in puteum, ex quo familia haurit aquam, cum hoc sit praecipue amovere causam naturalem nocentem. Unde quaestio est tantum de illis signis, quae de se non sunt noxia, ad quorum tamen positionem demon nocet ex pacto cum mago, vel sortiaria. Et quidem nemo negat, quin liceat ea tollere ex indignatione & odio facinoris, atque ex contemptu & detestatione tum magice artis, cum ipsius demonis: quia, cum debeamus habere ut hostem, ita ejus artes & artificia detestari & destruere debemus. Utrum verò id etiam liceat sub spe nocementi cessatur, seu sine ut demon nocere desinat, difficultas est, quae utrimque disputatur probabiliter. Pro cuius resolutione

Dico: Cuius licitum est tollere nuda signa maleficii sub spe nocementi cessaturi, seu eo fine praecipue, ut demon nocere desinat. Ita communius, & nobis probabilibus Henrico a Gandavo, Soto, Cajet. Soto, Sylvestro, Binsfeldio, & pluribus aliis contra Estium, Sylvium, Loth, & quosdam alios. Prob. 1. Illa amotio signorum nullatenus est invocatio tacita demonis: ergo non est illicita. Patet Conseq. quia hac dumtaxat ratione contendunt adversarii esse illicitam. Prob. Ant. Illa amotio signorum non est invocatio demonis neque ex natura sua, siquidem licet fiat ex detestatione, ut dixi; neque ex intentione amovendi, non enim amovens intendit demonem invocare, sed e contra ejus invocationem per magum illo signo factam impedire; neque tandem ex pacto praecedente, quia amovens non est pactus cum demone, ut amotio signo, desinat nocere; & licet magus id pactus sit, tamen amovens signum non intendit ex illo pacto operari, quasi demonem moneret, ac induceret, ut pactum, servet, sed e contra intendit pactum illud nocendi rescindere: ergo.

Respondet Sylvius, hanc amotionem, quatenus fit eo fine ut demon cesset nocere, esse ex natura sua implicitam demonis invocationem, quia est res vana & ad effectum expectatum nihil valens, neque ex virtute naturali, neque ex institutione Dei, aut Ecclesiae, sed ex sola voluntate demonis, a qua proinde ille effectus expectatur ex pacto inito cum mago. Sed contra: Intuitus, qui hic expectatur, non est beneficium, sed quid negativum, nempe mera cessatio nocementi, quod non est illicitum expectare ab hoste, ut modò dicam. Vel potius dicatur, nihil hic expectari a voluntate demonis, sed tantum impediri malam ejus nocendi voluntatem.

Confirmatur a simili. Si quis esset pactus cum hoste, ut dato signo ignem urbi injiceret; is, qui talis pacti esset concius, posset & deberet tale signum removere, nec propterea censeretur expectare aliquid beneficium ab hoste, sed tantum malam ejus voluntatem impedire, nec ejus pacto consentire, magis quam ego censerem consentire hosti, cujus oppugnationi resisterem, vel ejus artes & artificia dissolverem. Haec magis patebunt ex solutionibus objectionum.

Prob. 2. Conclusio. Si quis actualiter alliceret demonem verbis, aut scriptis, ut mihi, vel alteri noceret, possem talem allicentiam impedire obstruendo os magi, non loquatur, tenendo manum; furando calceum, aut chartam, ne scribat, vel scripta comburendo: non puto id a quoquam negari: ergo similiter possum alia signa destruere, ut demon desinat allici & nocere. Quid enim interest, an demon alliciat verbis, seu scripturis, an aliis signis.

Urgetur magis haec ratio. Non est superstitiosum impedire, ne ponantur signa, quaecumque sint, quibus alliciat demon ad mihi nocendum: ergo nec posita tollere. Non enim magis invocatur demon signa posita tollendo, quam impediendo ponenda.

Solvuntur Objectiones.

Obiicit 1. Qui signum tollit spe nocementi cessaturi, hunc effectum non expectat neque a causa naturali, neque ab humana voluntate, neque a Deo per miraculum: ergo expectat a demone, proindeque est opus superstitiosum. Perinde est enim ac si dicas diabolo: pactus es te amoto signo cessaturum, ecce amoveo signum, praesta quod promisisti. Hujus argumenti solutio jam insinuat est supra. Unde respondeo, Distinguo Consequens: ergo expectatur a diabolo, & ille effectus expectatus est quid positivum per modum beneficii, N. Est quid privativum, quod non expectatur per modum beneficii, C. sique, N. ulterius Conseq. Igitur effectus, qui hic expectatur, non est aliqua actio positiva demonis, sed mera cessatio, Theol. Billuart. Secunda Secunda.

seu privatio actionis ejus, quem effectum licet expectare a demone, modò non expectetur ex benevolentia, ut patet in eo, qui impediret, ne ponantur signa, quibus demon alliceretur ad nocendum. Item in iis, qui gestant Agnos Dei, Reliquias, &c. qui utuntur aqua benedicta, & similibus, ut diabolus non noceret, seu nocere cesset.

Nec valet, si respondeas cum Sylvio, quod, dum gestamus Agnos Dei, seu Reliquias, &c. non expectemus a demone, ut desinat nocere, sed a Deo expectamus, ut imminuere precum Ecclesiae demones velit fugare & coherere, ne nocent. Contra est enim, quod nullatenus foret culpandus is, qui ista gestaret, aut faceret, ut demon, non solum divina potestate coactus, sed his quasi offensus & abhorrens desinat agere, seu nocere: sic si scirem demonem ab aliqua re naturali abhorre, omnino licet apponerem, aut agerem ad eum fugandum, & ejus actionem impediendam. Sic etiam licet agit, qui impedit, ne ponantur signa, quibus demon alliceretur ad nocendum, licet hanc non actionem demonis non expectet a virtute divina coherere demonem.

Repones eodem Sylvio. Effectus, qui hic expectatur a demone, est tale privativum, quod loco alicujus beneficii haberi possit, ut quòd equi non moriantur, quòd fruges non impediuntur, & similia; atqui nullum beneficium licet expectare a demone, cum beneficium demonis sint nocentiora vulneribus, ut ait S. Leo serm. 10. De Pass. ergo. R. D. Majorum. Privativum est tale quòd loco alicujus beneficii haberi possit & de facto habetur, N. Et non habetur, C. Non enim magis hic loco beneficium habetur cessatio noxae actionis demonis, quam haberem loco beneficii cessationem actionis noxae mei hostis, destruendo signum, ad cujus positionem pactus fuerat mihi nocere. Aliud esset, si amotione signi intendere movere & inducere demonem, ut vi prioris pacti non noceret, quod tamen non fit, ut jam dixi, & adhuc modò dicam. Unde ad totum argumentum breviter respondeo, nihil propriè hic expectari a voluntate demonis, sed dumtaxat ejus malam voluntatem & actionem impediri, quod ex nullo capite videtur culpandum.

Obj. 2. cum eodem; Qui signum tollit, ut cesset noxa, miscet se pacto, quod inter maleficium & demonem intercedit, quod est tale, ut signo posito noceret, ablato desinat: aut si pactum sit simplex, nimirum quòd manente signo perget nocere, nihil expressè continens, quid facturus sit eo amoto, implicite tamen continet, quod tunc cessabit nocere: ergo. Confirmatur. Qui tollit signum, non per hoc autem diabolo potestatem nocendi; cum Deus non tantum usque ad hanc amotionem nocere permiserit, alioquin non esset signum diaboli, sed Dei: ergo a demonis voluntate expectat cessationem nocementi, idque ex pacto inter ipsum & maleficium inito. R. Haec argumenta ex jam dictis posse solvi; in idem enim cum praecedentibus aliquo modo recidunt. Ad majorem tamen hujus difficultatis elucidationem, Distinguo Ant. qui tollit signum, miscet se pacto, ut illud destruat, C. Ut illi consentiat, N. Igitur, qui tollit signum in nostro casu, non intendit, ut jam dixi, movere, seu inducere demonem ad pactum servandum, neque adhibere amotionem v. gr. ligaturae, tanquam signum secundi pacti, si quod sit, sed solum intendit destruere signum prioris pacti, quo demon allicebatur ad nocendum. Haec autem sunt valde diversa. Aliud est enim amovere signum ea mente, ut moveas demonem, ut servet pactum, & ex fide data desinat nocere, quod esset consentire pacto, & ex vi illius agere. Aliud movere, ut destruas quasi realiter demonis invocationem & pactum cum mago initum. Quando enim aliquid signum non est ex natura sua ordinatum ad aliquid determinatè significandum, facile potest per intentionem alio referri: sic v. gr. actio Naaman Syri 4. Reg. 5. qui adorante Rege in Templo Remon, simul flecebat genua ante Idolum, ut Regi sibi inmittenti se aparet: haec, inquam, actio poterat esse idololatria, si fieret ex intentione adorandi Idoli; vel tantum obsequium civile, si fieret, ut verè fiebat; ex intentione sustentandi domini. Sic igitur amotio signi magici, cum ex se non sit invocatio demonis (potest enim licite fieri, puta ex detestatione, ut concedunt adversarii) pendet ex intentione agentis, ut sit talis, vel talis; servare pactum: erit superstitiosa; si fiat autem ex intentione destruendi ipsum pactum & invocationem demonis, atque sistendi ejus actionem nocivam, ex nullo capite erit illicita. Ad Confirmat. R. 1. N. Ant. Saepè enim diabolus nocere corporaliter non potest nisi ipsa hu-

